



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1460. usque ad annum 1478

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118332

§. 46. Leodium a Burgundo incendi jussum

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66459](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66459)

Sæcul. XV.
A. C. 1468.

centiæ diripienda relinquitur. Præterea tam inhumanum Burgundi facinus Rex metu adactus, coram Duce, ejusque Ministris deprædicare compulsus est: quarto etiam seu quinto ab urbe capta die Lutetiam redeundi copiam petere a Duce jubebatur, ut Peronnensis pacis conditiones ad acta Parlamenti referri curaret. Equidem Dux Regi reditum petenti repulsam dare non audebat, eum tamen, ut pacta denuo rata haberet adigit illisque insuper adjici postulavit, ut Urfeum, Loum, & Poncetum a Ripa seu Riverium, in pristinam honorum suorum possessionem revocaret; id vero ægre admodum a Rege impetrari potuit.

§. XLVI.

*Leodium a Burgundo incendi
jussum.*

*Commin. l. 3.
cap. 14.*

Dux Regem in Gallias redeuntem ad mediam circiter Leucam comitabatur, simulque jubebat, ut quamprimum urbe egressus esset, Leodium penitus flammis absumeretur; voluit tamen, ut a communi incendio Ecclesiæ, necnon trecentæ Canonorum ac Presbyterorum ædes eriperentur, eo fine, ut singulis diebus res divina peragi posset. Nichilominus potissimam earum partem jam antea effrænis militum avaritia sacra suppel-

suppellectili, aliisque bonis spoliaverat. Sæcul. XV. A.C. 1468.
 Præterea Ducis jussu mille, vel juxta alios mille ducenti in ædibus suis deprehensi, infelices crudelitatis victimæ, a quibus suffocati sunt. Ceterum quamvis Dux, cum flammæ totam, qua late patet, urbem incredibili rapiditate absumerent, quarto etiam milliari ad Burgundiæ fines remotus consisteret, nihilominus, inquit Cominæus, crepitantium flammarum fragor, ac miserorum ejulatus eoque tam claro penetrabant sono, ut quisque se urbi præsentem esse crederet. Leodiensis illa civitas celebris fuisse dicitur triginta duabus Paræciis, octo Canoniorum Capitulis, comprehensa Ecclesia Cathedrali; ut taceamus non pauca tam Religiosorum, quam Monialium asceteria, & plurimas minores Ecclesias ac Nosocomia. Recensebat insuper præfata urbs incolarum facile centum viginti millia.

§. XLVII.

Bellum a Papa in Robertum Malatestam motum.

Interim Paulus II. Malatestam Ariminensem Toparcham, qui a pacis inter Principes Italiæ sancitæ beneficio exclusus fuerat, in propria ejus urbe obsidione pressit. Soli Veneti summi Pontificis Papiens. epist. 276. Idem. comment. l. 4. § 5.
Hist. Eccles. Tom. XXIX. U par-